

Accurrens gregibus, CHRISTI natalia latus
 Viseret: hinc caderet Damoetas, surgeret Ægon:
 Dum cali monitis & claro numinis ore
 Attoniti puerum properant inuisere regem.
 Quid casta matris curas, immixtaq; curis
 Gaudia commemorem? dum tanto pignore, cali
 Consortem agnoscit sese, naturamque tuetur
 In gremio, nasci quem vix dum senserat ipsa,
 Parturiens, pariensq; simul, virgoq; parensq;
 At vos interea spatiosa per atria reges,
 Aut medios inter lusus, turpesq; luparum
 Forte greges miseri infelix traducitis auum,
 Aut saturo efflatis pigros è pectore somnos,
 Gens inuisa Deo, magni quam rector olympi
 Et quondam spreuit nascens, & natus abhorret.
 Felices tenebra, quantumuis clara diei
 Lux collata quibus, non lux, sed opaca videtur
 Nox potius. Nã certa diem sua tēpora claudunt,
 Et vicibus certis Phœbus surgitq; caditq;
 Est quoque quum ingrata vicinus ab orbe sororis
 Sic premitur, nigra ut tectus ferrugine vultum
 Quod reliquis prebet lumenq; iubarq; requirat.
 At vobis, tenebra, qui prebet lumina Titan,
 Phosphorus ipse sibi est, & non finitus horizon.
 Sed cur postremo patres te mense locarunt,
 O nox, quam nostra testem appellare salutis
 Et decet, & fas est? cur non hac inchoat annum.